


RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
PAVLVS GOTTFRIE-
DVS *Sperling*
MEDIC. DOCTOR, ET ANA-
TOM. AC BOTAN. PROF.
PUBL.

CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.

Hist. Succ.

391,120

*Hist. Succ. 269
/12.*



REges magni et fortes in oculis ferendi sunt, quibus vita eo longior exoptanda, quo est sanctior illorum opera, quam in maximis vitae partibus, et difficilimis reipublicae negotiis consumunt, nec dato ad quietem spatio, de sua ac civium salute cogitant, et pacis bellique tempore, de tuendis patriae commodis laborant. Quam gravem, & Rege dignam suscepit curam et sustinuit Divus Rex CAROLVS, Regum in serie Sveonum Gothorumque huius nominis felici auspicio undecimus, Princeps magnus perinde ac Martius, divinarum, quoad vixit, virtutum praesidio munitus, qui cum acerrime defendit gentis suae gloriam, tum in conservandis maiorum institutis religiosus et constans, nihil de regni iure deminuit, nihil de sua auctoritate unquam detraxit. Quin auxit emolumenta et fructus, magnasque opes aerario intulit, et regnum nimia quorundam liberalitate exinanitum, aut fere exhaustum, quasi relictis viribus, de integro instauravit, rescissis donationibus, quas cognorat non modicas, et contra legem atque utilitatem regni factas. Neque in summo dignitatis fastigio indulgebat sibi, et frugalis erat, fortunasque per luxuriam effundi vetabat, libidinem vero haud secus fugiebat, atque aulae pestem, et exitii publici instrumentum. Quo quid tempore, aut quo loco efficiendum esset, mature animo reputabat, et subsidia potentiae non magis
sua,

sua,quam vicinorum,et inprimis sociorum gratia comparabat, ut quem natura et usus docerent, quid consulto, et quid facto opus esset, quid sua, et quid aliorum Principum referret. Etenim ab eo tempore, quo CAROLVS suo ipsius auspicio regnavit, recreatum plane regnum et corroboratum est, maxime quum exercitum sine taedio et onere civium conficeret, et minori sumptu commodissimam persolvendi stipendii rationem iniret. Quae tanta quidem est Divi Regis fama, ut emori non possit, de qua non filebunt posterum, et omnia literarum monumenta testabuntur. Reliquas CAROLI virtutes exornabat pietas, aut verius muniebat, praesertim contra inanem rerum humanarum fiduciam, quod suam regni salutem Deo acceptam ferret, neque in se uno omnia poneret, veterumque istas voces improbaret, et velut impias, atque insaniae plenas perhorresceret, poenisque dignas iudicaret. Ad misericordiam propensus, a crudelitate suppliciorum abhorrebat, neque consilio praeceps, et ubi res posceret, interdum lentus et patiens, ad ultimum severitatis remedio experiebatur, qui sciret, spe impunitatis non emendari malos, sed magis efferari. Praesides provinciarum sapientes et iustos esse voluit, sacerdotes beneficiis auctos, ad conspectum et familiare colloquium admisit, nec doctos aspernatus est, quos liberaliter habuit, et regali patrocinio ornavit, multos fovit, et constitutis vitae subsidiis, attributisque in victum pensionibus, munifice et perclementer aluit. Rex maximus, et in ea mente perstitit semper, atque his virtutibus Deum imitatus est, ad quem omnis vitae imperiique rationes, dum viveret, referendas putavit. Is victor saepe, et nullo periculo territus unquam, aut deiectus, nulla denique temporum iniuria turbatus aut fractus, e coelo ad humanam societatem devocatus,
in ex-

in extremo vitae, maximum victoriae fructum, victis
inferorum hostibus, cepit, cuius summae, quae cum vi-
ta caduca non extinguuntur, laudes, si rerum gesta-
rum ordo servandus est, non brevi sermone, sed anna-
lium monumentis consignari debent, posterisque tra-
di. Quas partes voluntate, consilio, hortatu et de-
creto Senatus nostri, in pietate, quam sanctis maximi
Regis cineribus debet, submisit consentientis, dela-
tas sibi et traditas prompte suscepit, et pro summa
animi erga divi Regis manes religione suas esse, o-
mnino credidit, ac recte arbitratus est Orator Acade-
miae huius multo celeberrimus, GEORGIVS CASPAR
KIRCHMAJERVS, aetate, auctoritate, meritis, inter pri-
mos coetus nostri patres numerandus, hodie ab H. II.
pomeridiana in templo Arcis, gravi et luculenta ora-
tione res factaque tanti Herois commemoraturus.
Quem rogatu nostro omnes, quotquot studiorum cau-
sa hic versantur, imprimis autem Perillustres Genero-
sissimique Barones, Patres, ac Hospites, & in pu-
blico Cives universi, vel eo nomine, quod Rex A-
cademiam hanc curae sibi esse voluit, eamque beni-
gne semper complexus est, & munere monumento-
que SACRI SAECVLARIS non care modo, sed nun-
quam digne satis aestimando, nuper etiam ad sempiternam
nominis memoriam sibi devinxit, Germaniam-
que aequo arbitrio, & nisi res succederet, armis contra
hostem patriae tutari voluit, propense audient, & do-
lorem adeo propinqua gentis levabunt ultro ac leni-
ent, iacturam quoque Patris in successore & herede Fi-
lio CAROLO XII. cuius regnum firmum semper &
prosperum sit, magna spe fiduciaque divinae opis, quae
novum Regem in summa Europae, & Orbis Christiani
expectatione non destituet, consolabuntur.

P. P. VIII. Kal. Decembr. Anno Dionysiano

1697. MDCXCVII.

